

1660 3  
3

EXERCITATIO POLITICA  
<sup>DE</sup>  
**REPUBLICA**  
SIMPLICI ET MISTA IN  
GENERE,

*Quam*  
Publico Eruditorum examini subjiciunt

**PRÆSES**  
**M. CHRISTIANUS FASEL-**  
TUS Oberav. Misnicus,

**RESPONDENS**  
**JOHANNES VVILDENIUS**

Wilstriensis Holsatus

*add. 14. Novemb. horis matut. in Auditorio minori*  
*Anno M. DC. LX.*

---

**WITTEBERGÆ**  
Ex Officina Typographica Johan; Hakca,





בשְׁבָת אַרְוֹן

DE  
REPUBLICA SIMPLICI & MISTA  
THESIS I.



Uam de REPUBLICA IN GENERE haut ita pridem conscripsimus Disputationem, eam in praesenti pergere (descendendo nempe ad Ejus species) animus est. Non enim, uti methodi lex svadet exactissima, in generalibus acquiescendum tantum est, sed ad specialia quoque deveniendum, cum generalium sine vera ad specialiora applicatione nulla ferme sit cognitio. Quid & quod omnia genera suam in speciebus videantur habere perfectionem. Quare & Republicam nostram per imitationem ad ejus species perficere in hac ipsa dissertatiuncula voluimus.

THES. II. Ut 2. methodicè procedamus, remque ab ipso, ut ajunt, ovo incipiamus, juvat in antecessum de Reipubl; divisione breviter nonnulla præmittere. Scilicet, disquiremus primò, an etiā Respublica commodè dividi possit? & deinde, in quonam illa divisio demum consistat? Paucis ad utrumque.

THES. III. Priorem quod concernit questionem, eam omnino affirmamus, & quidem hoc potissimum argumento: Si forma Republicæ, quæ Ordo est, dividitur, sequitur, quod etiam Respublica, tanquam formatum, dividatur, quia Respubl: à formâ suâ dependere dicitur, quæ, quia ei dat esse, dat etiam distingui. Jam v. certum est, quod forma Republicæ, Ordo nempe, dividatur: modò enim fluit ab uno, modò à pluribus uno principio, im-

A a mò in-

mō interdū etiam totum populum, cēu caput aliquod respicit. E  
& inde Respublica dividenda est, cūm, mutatā formā, non pos-  
sit res ipsa non pati mutationem, & pro forme conditione & sta-  
tu judicium fiat de ipsa essentia. Adeoque hactenus nemo dubi-  
tare facile potest & debet, an etiam Respublica dividatur, cūm res  
manifesta sit & ab ipsis etiam Politicis adprobata.

THES. IV. Hinc potius ad posteriorem questionem, quæ  
magis dubia videtur, progrediemur. Quærimus a. in illâ, in quo-  
nam demum Reipublicæ divisione consistat? vel, unde desumenda  
sit? Certant hic autores Politici, variisque varia loquuntur. Non  
nulli à Divitiis & paupertate Respublicas in Aristocratiam & De-  
mocratiam distinguunt. Cujusmodi sunt Plato in Polit. Mon-  
tecat: 3. Polit. in Shol. text. 50. & alii. Verum quām absurdum ho-  
rum sit sententia vel inde constare potest, quod, quemadmodum  
ad essentiam boni Tibicinis, Medici aut Choragi, (quo simili utitur  
Clariss. Arnis. vir in Politicis supra invidiam exercitatus lib. 2. Po-  
lit. c. 7. n. 9.) divitiæ nihil faciunt; ita etiam ad Rempublicam.  
Quod enim externum est, illud ipsius rei constituendæ essentiam  
minimè ingreditur. Divitiæ v. sunt externæ, non tantum Platoni-  
corum & Stoicorum, Cic: de Finib. & in Tuscul. Senec. epist:  
9. 88. 119. verum etiam Aristotelis, universæ Philosophiæ Parentis,  
testimonio 3. Pol. c. 8. Et quid dicam de Paupertate? Fuitne Ro-  
manorum Respubl., cūm, Carthagine nondum debellatâ, ferreis  
præ inopiâ uteretur annulis, Respublica? Maximè. Fueréne Re-  
ges pauperes Macedoniæ Reges? non minùs fuere ac olim Rex  
Persarum, Rex Regum & Consanguineus Deorum, uti ita voca-  
tur ab Herodot: lib. 2. suppl. ad Q. Curt. Quid? quod si virtutum  
quid hoc afferret prælibata opinio, cur non etiam Rerumpubl:  
formæ æque distinguerentur à Prudentia & Rusticitate, à justitia  
& injustitia &c. si hac illâve stipati essent imperantes. Remanet  
ergo, quod à divitiis & paupertate Respubl.: non sint distinguen-  
dæ, eò, quod essentiam earum non ingrediantur.

THES. V. Alii v. Reipublicæ divisionem à virtutibus & vi-  
tiis desumi debere statuunt. Unde Rempublicam etiam in Oli-  
garchiam & Democratiam dividunt. Verum & horum senten-  
tia im-

tia improbatur, quia infinitæ sunt vittutes, infinita etiam vitia. Ja  
v. si respectu virtutum & vitiorum Politix essent dividendæ, infi-  
nitæ quoque forent. At v. hoc est contra omnem rationem & ex-  
perientiam, quod infinitæ sint Respublicæ, siquidem duæ tantum  
dantur Respublicæ, simplex & mista, quæ Rempublicam dividunt.  
Dividunt a. eam non secundum Qualitates, secundum quas  
nunquam dividenda est, sed secundum essentiam, quia dicunt,  
quod ordo imperandi modo indivisim fluat ab uno secundum  
omnem suum statum: modò v. divisionem admittat, nec quoad  
omnia ex conjunctio principio descendat.

THES. VI. Ex quibus nunc facile colligere possumus, unde essentialis Rerumpublicarum divisio sumenda sit. Non aliunde, nisi à numero imperantium. Quando enim iste indivisim  
fluit à summâ potestate, tunc oritur Respublica simplex; quādo a.  
divisim, tunc constituitur mista. De quā divisione præsens hæc  
nostra disputatiacula tractat.

THES. VII. Quod igitur attinet Rempublicam simplicem, illa ab Excell: Dn. D. Wendelero, Præceptore nostro observan-  
tissimo ita definitur: Simplex Respublica est, ubi summa potestas  
est penes unum, vel penes uno plures indivisim. Definitum est  
Respublica simplex. Ubi notandum, quod non sit incomplexum,  
hoc est, non uno constet termino; sed complexum. Constat e-  
nim duobus terminis, cùm propter defectum vocabulorum uno  
vocabulo commodiori explicari nequeat, siquidem plura dantur  
entia, quām entium noemata, uti alias constat. Manet nihilo.  
minus tamen res una & simplex, licet vel maximè dupli termino  
exprimatur. Id quod etiam ex aliis exemplis passim demon-  
stratur.

THES. VIII. Vocatura. Respublica simplex, quod circa  
Definiti explicationem monendum quoque videbatur, (1) non  
ratione Subjectorum, ac si omnis Majestas penes unum tantum  
residere debeat, cùm plures etiam in Republicâ simplici possint  
imperium suscipere, ut: in Aristocratia & Politia &c. neque (2)  
ratione Objectorum, q.s. sc: circa unum tantum jus Majestatis,  
aut circa unum subditum simplex Respubl, versetur, cùm in qua-

libet Republicā simplici plura Majestatis iura, plures vē subditū reperiantur. Neque (3) ratione locorum, q̄s. conjunctim & indivisim in uno tantū loco exerceatur, cūm quælibet Respubl: simplex ad plurima sese loca extendere possit. Sed (4) quoad formā suā statum, quæ simplex vereque indivisa est, siquidem Ordo, utpote forma, indivisim à summis ad ima, h. est, à summā Maje- state ad infimos etiam subditos fluit.

THESS. IX. Hæc de Definito, sequitur nunc Definitio. Re- solvitur a. illa in Genus & Differentiam. Genus quod concer- nit, illud quidem in Definitione positum expressè non est; penitus tamen non omissum, quin potius præmissum est. Definitum e- enim quia complexum est, adeoque generali & speciali constat ter- mino, non opus est, ut scilicet adhuc Respublica repetatur, cūm in Definito jam jam includatur. Differentia consistit in his verbis: Ubi summa potestas est penes unum, vel penes uno plures indivi- sim. Indivisio ergo potestatis differentiam specialem s. forma- lem Reipublicæ simplicis rationem constituit. Quod non tan- tum ex ipsâ appellatione, verum ex mis̄tæ quoque oppositione probari potest. Quicquid enim simplex est, illud eo pacto, quo simplex est, indivisum est. Cūm a. Rerum publ. forma simplex sit, non obscurè ex eo colligitur, quod, quod dici requirat inesse, potestatis hujus indivisio reverā pro formalī sit habēda, alias sim- plex appellari non posset. Evincit etiam hoc mis̄tæ oppositio. Quemadmodum enim ibi divisio ejus formale constituit, ita vi oppositorum in simplici formale est indivisio, cūm de oppositis oppositæ tantum valeant formales rationes. Patet ergo, quod in indivisione potestatis formale Reipublicæ simplicis consi- stat.

THESS. X. Dividitur a. Respublica simplex in Monarchiā, O- ligarchiā & Democratiā. Quæ divisio generis in species est. Respu- blica n. simplex est genus, Monarchia, Oligarchia & Democratia sunt species. Et quod Respublica simplex in tres ejusmodi species rectè dividatur, exinde probari potest, quia quilibet Reipublicæ statu, qui publicam quærit utilitatē, quærit illam vel per unū, & sic eva-

Sic evadit Monarchia; vel per paucos, eodemque optimos, unde Oligarchia; vel per multos, unde tandem Democratia ortur. Vid. Aristot. lib. 3. Polit. c. 3. Cas. lib. 3. Sphær. Civit. c. 5. Id quod etiam Cicero lib. 2. de Divinat. confirmare videtur, quando ita scribit: se à Platone (Mose illo Attico) Philosophiāq; didicisse, Republicas tūm à principibus teneri, tūm à populis, aliquando à singulis. Quo etiam Græci plenis approperasse velis videntur, nisi quod in nominibus non per omnia consentiant. AEschin. s ita dicit: Apud omnes homines tres esse Politias: Τυραννίδα, Ολιγαρχίαν καὶ Δημοκρατίαν. Idem etiam Isocrates, Herodotus & alii statuunt. Dissentient ergo in hoc saltim à nobis, quod Tugendā pro Monarchiā ponant, in re ipsa v. nobiscum conveniunt. Vocabulum enim Tyrannidis olim non adeo exosum, ut hodie quidem, habebatur; sed denotabat talem potestatem, qualis hodie Regum potestas est. Hinc etiam Tyrannus iste habebatur, qui potestate perpetuâ in eâ civitate fuit, quæ libertate usus est. Vid. Cornel. Nep. in Miitjad. Unde nunc apparet, quod Tyrannis veteribns nihil aliud fuérit, quam nobis hodie Monarchia; ad eoque hactenus Monarchiæ æquipollere dicitur.

THES. XI. Conveniunt a. hæ tres simplicis Reipubl. species omnes in eo, quod publicæ tantum salutis & boni in iis habetur ratio. Nam & Rex boni pastoris instar est. Sicuti enim Pastor non sibi, sed gregi consulit; ita Rex non suum commodum attendit; sed quid è civium refutrum sit, unicè prospicit. Ideo in Aristocratiâ usu venit, ubi pauci virtute omnium rerum pulcerrimâ præstantes, omnes suas actiones & consilia eò dirigunt, quo publicum commodum juvetur & promoveatur. Idem denique in Democracy evenit, in qua maxima pars civium, cui ad Rempublicam gerendam patet accessus, communem utilitatem sibi propositam habet.

THES. XII. Enim ergo objiciunt hic communiter contra ternarium huncce Rerum publ. simplicium numerum, quod insufficientis sit, cum ipse Philosophus in Polit. lib. 4. c. 2. eundem senarium statuerit. Sed Resp. quod mentem Philosophi plane

planè non aſſequantur. Ipſe enim in citato loco agit de ſimpli-  
cibus Rebus publ. tām rectis quām corruptis; adeoque non  
dicit, quod ſex ſint Rerumpubl. rectæ; neque etiam, quod ſint ſex  
corruptæ, ſed in genere dicit, quod Rerumpubl. ſimplices ſint vel  
rectæ, vel corruptæ. Et licet etiam vel maximè ſex ſtatuere,   
inde tamen non ſequeretur, quod iſtæ ſex eſſent vel rectæ, vel cor-  
ruptæ, cūm expreſſe ibi dicat, quod tres ſint rectæ, totidemque  
corruptæ. Quæ tres rectæ totidemque corruptæ conju-  
nitim ſumptæ ſex poſtmodum conſtituunt. Quo ſensu & A-  
ristoteles ſex ibi Rerumpubl. ſpecies accipit & ſtatuere.

THES. XIII. Nec præterea eſt, cur aliquis denuo hīc ob-  
jiciat, qvod i. Rhet. c. 8. quatuor tantum Rerumpubl. Aristoteles  
ſtatuat, videlicet Monarchiam, Aristocratiam, Oligarchiā & De-  
mocratiam. Comprehendit enim ibi, ſicuti ipſem innuit,  
ſub Monarchiā Regnum & Tyrannidem, nomine v. Democra-  
tiæ Politiam ſ. Rerumpublicam ſtrictè ſic dictam. Ut ita Re-  
rumpubl. ſpecies tām rectas, quām corruptas ex vulgi ſen-  
tia recenſuiffe ibi videatur.

THES. XIV. Habet nihilominus tamen Joha[n] Bodin-  
nus lib. 2. de Republ. aliquid, quod pro more ſuo nobis oppo-  
nat. Scilicet regerit hoc, quod, ſi hæc Aristotelis allata di-  
viſio admitteretur, iſtud inde ſequatur, infinitas etiam alias  
Rerumpubl. divisiones eodem prorsus modo conſtitui posse,  
v. g. à robore corporis, ab opibus, à formâ. Verum cari-  
oſa ejus eſt conſequentia. Non enim hæc res adeò immutant  
Rerumpubl. ſi publici vel privati commodi habeatur ratio. Cūm n.  
in hæc Republ. divites, in alia etiam pauperes imperio præfici-  
untur, id ſane, fatente ipſo Philoſopho lib. 3. Polit. non adeò  
multum ſemper diversitatis in bonâ Republ. parit. Idem  
quoque de forma corporis & robore eſto judicium. Falso igi-  
tur hactenus allatam Aristotelis divisionem absurditatis postulat  
Bodinus. Legitima illa eſt & à communi Dd. ſuffragio & ap-  
plauſu recepta & comprobata.

THES. XV. Sed, ne nimium pro instituti nostri ratione  
ſimpli-ſibus Rebus publ. immoremur, ad Miftas nos nunc conver-  
timus. Ac ne, quicquid imposterum de Republ. mifta dicetur,  
collabi

collabi necessum habeat, si non nulli, quod intendunt, obtineant,  
mista Remp. dari non posse, opera pretium erit, hinc initium  
facere, & quæ Aristotelis hac de re sententia sit, in vestigare. Qui  
quidem tantum abest, ut dari eam posse inficias eat, ut potius ipse  
modum quendam mistionis lib. 4 Polit. c. 9. præscribat, & quod  
amplius est, illam Rempublicam, quæ ex partibus concreta sit, ce-  
teris meliorem pronunciet lib. 2. Pol. c. 4. Cui igitur sententiae  
nos quoque acquiescimus, eamque dicimus Rempublicam mistā,  
ubi penes plures summa potestas est divisim, vel, quod idem est,  
ubi diversis ordinibus diversa Majestatis iura competunt.

THES. XVI. Hic ante omnia explicandum nobis est, qua  
ratione Respublica vocetur mista. Non ergo vocatur Respubl.  
mista (1) ratione hominum, qs. nempe homines mistam eam cō-  
stituerent, siquidem & in societatibus simplicibus mariti & uxo-  
ris, Domini & servi, Parentum & liberorum mistio aliqua datur,  
unde tamen Respublica nullatenus mista vocatur. Neque (2) ra-  
tione societatum, cùm in qualibet etiam familia societatis con-  
jugalis & herilis, quibus & additur paterna, requiratur conjunctio  
Neq; (3) ratione pagorū & oppidorū, quæ, licet in plerisq; fere re-  
gionibus commisceantur mistam tamen non exinde statim Rem-  
publicam constituunt. Neque (4) ratione statuum, ac si diversi  
status, vel imperantium l. parentium; vel divitum vel pauperum;  
vel equaliū vel inequaliū mistionē ejusmodi pareret, quā Respubl.  
postmodū mista appellaretur. Si enim hoc cōcederetur, nō posset  
non concedi quoque, omnem Rempublicam esse mistam, cùm in-  
qualibet Respubl. istiusmodi hominum status reperiuntur. Neq;  
(4) ratione ipsius Majestatis, quia non alia Majestas in mistā, quā  
in simplici Respubl. dominatur. Sed (6) ratione formæ Ma-  
jestas enim, (utpote in quam monente B.D. Jacob. Mart. in Po-  
lit. lib. 2. c. 16. p. 571, oculos illum, qui de mixtione Rerum publ. a-  
gere vult, oporteat deflectere), aliâ formâ diffunditur per inter-  
medios Magistratus in universos subditos, nimirum: divisim; non v., si-  
cut in simplici fit, divisim.

THES. XVII. Cùm igitur pateat, quā ratione Respubl. mista  
vocetur, non immerito quærimus hic, in quo tandem ratio mistio

B

nisi,

Nis̄ consistat? Nos, ne nimii nobis' simus, responde mus statim, duplēcē esse mīstionis rationem. Alia est æqualis, si nim: æquāliter jura Majestatis dividantur, ut aliis ordo hæc, aliis illa, tertius deniq; alia habeat ita temperata, ut nulla pars prævaleat: Alia inæqualis, ita tamen, ut perierit simplicium rerū publicarū natura. Sæpe enim inter simplices Republicas inveneris, quæ ob crebras mutationes alieni quidpiam admistum habeant; quamdiu tamen adeo non miscentur, ut formam simplicem amiserint, mistæ non sunt dicendæ.

THES. XVIII. Egregium certè in hunc sensum simile ad ducunt Politici ex rebus naturalibus. Ut enim, inquiunt illi non quælibet Elementorum vel alteratio vel confusio, sed tantū ejusmodi coalitus, in quo formæ Elementorum ita franguntur ac minuuntur, ut in tertia quandam à simplicibus planè diversam definiant, mistum corpus efficit & constituit, referente ex Arist. lib. i. de Generat. & Corrupt. B. Dn. D. Jacob. Mart. in Polit. lib. 2. c. 16. p. 570. Sic neq; quælibet Rerumpubl: vel alteratio vel confusio statim mistum facit imperium; sed ejusmodi tantum, ubi ipsæ formæ accuratè haec tenus distinctæ & separatim consideratæ & explicatæ ita permiscentur, ut in tertiam à simplicibus istis distinctam abeat.

THES. XIX. Interim v. non negamus, plures adhuc esse Reipublicæ mistæ modos, cùm fieri etiam aliquando possit, ut duo solum formæ, nunc tres, inter se misceantur. Quod quidem sub certas leges revocare, quænam, Majestatis jura huic vel isti ordini sint concedenda, cùm nec Aristoteli factitatum sit, hinc non satis datum putamus, nostri ingenii ductum seqvi. Est enim prudentia politica, & vix in rebus certis præceptorum perpetuitatem admittit. Unde pro loci, temporis, populi aliarumque circumstantiarum mutatione mistio prudenter et suscipienda. Hac tamen adhibita cautela, ut de mīstione semel institutâ certæ ferantur leges, quas fundamentales vocari consueverunt, ne quotannis mīstionis forma mutationes subire habeat necessum. Omnis enim mutatio ut in Republica valde est periculosa; ita cum primis in mīsta Rep. maximis periculis est obnoxia.

THES.



THE S. XX. Hactenus explicata est Reipublicæ mixta Definitio, nunc explicanda quoque est Divisio. Sed breviter. Dividitur a. Respublica mixta in rectam & corruptam, æque, ut simplex dividitur. Fundamentum hujus divisionis petitur à fine, quem imperantes intendunt. Si totius civitatis salutem intendunt, oritur Respubl. mixta recta; si v. privatum tantum respiciunt & quærunt commodum, eoque subditorum opes vel operibus publicis, vel tributis, vel bellis conterminis minuant, oritur corrupta.

THE S. XXI. Quod attinet Rempubl. mixtam rectam, oritur ista ex simplicium formarum (1) Regni cum Aristocracia conjunctione & commissione, quando sc. summæ Majestatis jura alias sunt penes unum, alia penes ~~æ~~ 150 regas, ita tamen, ut in omnibus salus publica observetur. Cujusmodi Monarchia & Aristocracia mixtura in Iudaico olim Regno, propter Synedrion, s. septuaginta Seniorum, quos & Reges ipsi metuerunt, reperiebatur: (2) oritur ex Regno & Democracy, quando summæ potestatis jura quædam sunt penes Monarchiam, quædam penes universam multitudinem, ita, ut utrobique boni publici cura habeatur. Qualis oīm status fuit Romæ, posteaquam Servius Tullius populo multa permisit. (3) Constituit mixtam Rempublicam rectam Aristocracia & Democracy, quando penes ~~æ~~ 150 regas alia Majestatis jura, alia iterum penes universum populum, ita, ut iterum cōmodum publicum inde quæratur. Iūsmodi Respublica in plerisque urbibus majoribus, ubi Mercatores & ditiores ciues omnes participes quoque esse cupiunt rerum gerundarū, hodie viget. (4) Denique simul ex omnibus tribus formis, Regno, Aristocracia & Politiā, quādo népe alia Majestatis jura penes Regem, alia penes Optimates, alia iterum penes universum populum reperiuntur, recta Respubl. mixta constituitur. Ex qua Lacedæmoniorum olim Respublica constitisse putatur.

THE S. XXI. Similiter sese res habet cum Republicâ mixta corruptâ. Ea enim existit modò ex Tyrannide & Oligar-

Oligarchia, modò ex Tyrannide & Democratia, modò ex Oligarchia & Democratia, modò denique ex Tyrannide, Oligarchia & Democratia simul. Quod autem propter angustiam pagellarum hac vice pluribus persequi non possumus.  
Forsitan dabitur de his differendi alias commodior locus.  
In his ergò meliora interim monenti usque parere  
parati acquiescimus.

SOLI DEO GLORIA !

\*\*\*\*\*  
**S**olve ratem, FASELTE, piam, da carbasa  
ventis,  
Et clavum facili flectere disce manu!  
En placidi sufflant Zephyri, portumque mi-  
nantur  
Optatum. Felix, cui mare & aura favet.

au<sup>g</sup>ust<sup>us</sup> ed.


Johannes Ericus Ostermannus,  
P.P.



WITTENBERG, Diss., 1660


ULB Halle  
003 484 572

3



Sba

1077



## FarbKarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White  
Centimetres      1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Inches      1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

1660 39  
3  
**OPOLITICA**  
**BLICA**  
**MISTA IN**  
**ERE,**  
examini subjiciunt  
SES  
**NUS FASEL-**  
. Misnicus,  
DENS  
**VILDENIUS**  
Holsatus  
*ut. in Auditorio minori*  
C. LX.  
ERGÆ  
nica Johan; Hakon.